



INTRODUCTIO

Authoris.

UNum ex maximis beneficiis , qua nobis humana in carne **DEUS** exhibuit , fuit istud , quòd illa , qua multifariam in via salutis sese nobis opponunt , impedimenta removerit. Istud est , quod tanto jam antè tempore divino edoctus spiritu prædixerat **Isaias** Propheeta , ubi **DEUM** , cùm in hunc mundum descenderet , vias asperas complanaturum , & sinuosis anfractibus impeditas effecturum directas edixit : erunt prava in directa , & aspera in vias planas. **Is.** 40. Duplici autem medio tam insigne nobis beneficium præstare voluit Redemptor Optimus. Imprimis divinâ suâ doctrinâ , sanctissimisque exemplis hæc ipsa salutis